



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

**VD16 H 5888**

Seruus Dei quomodo se habere debeat tempore prosperitatis &  
aduersitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

dem mentes, ne in illis diebus quiescant, vanitas exagitat; vel ne in istis bono opere se exercent, pigritia ligat. Quapropter non negligenter quidem in bono opere habenda est discretio temporum, quia sicut malum opus nullo tempore laudabile est, ita opus bonum quodammodo reprehensione dignum iudicatur, si tempore oportuno factum non est. Debet seruus Dei diebus festiuis considerare gratiam, quam sancti in præsentis vita habuerunt: & gloriam ad quam peruenerunt. Laudibus sanctorum, & eius à quo gratiam & gloriam habuerunt, insistere: exemplis eorum se prouocare, amorem & suffragia eorum acquirere, gloriæ eorum cōgaudere, & exemplis eorum prouocatus, & de Dei liberalitate, & suffragiis eorum confisus, similem gloriam desiderare & sperare.

*Sequitur quomodo se debet habere seruus Dei, tempore prosperitatis & aduersitatis.*

*Pro. 1.*

**T**empore prosperitatis seruus Dei amplius debet timere, quam tempore aduersitatis. Periculosior enim est prosperitas, quam aduersitas: cum secundum Gregorium, aduersitas faciendo, erudiat: prosperitas blandiendo seducat. Prosperitas stultorum perdet eos. Tempore prosperitatis maiori discretione debet se regere. Seneca: Tunc consilia salutaria aduoca, cum tibi alludit vitæ prosperitas. Tunc te inter diem in lubrico retinebis ac sistes. Potius indiget lumine, qui incedit per lubrica loca: quam qui incedit per loca arida. Sic lumen sapientiæ magis  
necel-

necessarium est homini in prosperis, quam in aduersis. Prosperitatem comitari solet securitas, gaudium, elatio animi. Quodlibet verò istorum occasio solet esse præcipitij. In Psal. Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Et subditur: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Sicut vinum purum habentes capita debilia infatuat: sic gaudium temporale cordibus infirmis nocet, nisi temperetur aqua tribulationis, vel saltem memoria. In die bonorum ne immemor sis malorum: nec in die malorum immemor sis bonorum. Tempore prosperitatis necessarius est vsus temperantiæ: tempore aduersitatis vsus patientiæ. In periculo est cui in prosperis deest temperantia: vel in aduersis patientia. Vnus perit aquis deliciarum, alius aquis tribulationum. Eccl. 11.

*Quòd otiositas multum cauenda est iuueni.*

**I**uuentutis tempore specialiter cauenda est, & timenda otiositas. Vnde inter abusiones claustri enumeratur iuuenis otiosus. Et secundum Hugonem de S. Victore: Large dicitur iuuenis, non solum ille, qui est in adolescentia: sed etiam ille qui est in ætate matura. Quadruplici ratione reprehensibilis est otiositas in iuene. Primò, quia hæc ætas labori est congrua. Secundò, quia doctrinæ & assuefactioni est idonea. Vnde vituli in iuuentute domantur, & equi tunc ambulationi assuescunt: in senectute verò non sunt susceptibiles talium. Tertiò, quia hæc ætas prona est ad leuitatem: ideo onere laboris stabi- Lib. 2. de claustro anima, cap. 14. à med. Tom. 2.

lienda est. Maturitatem quam in senibus facit ætas: